



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

prædicitur victoria, & exultatio Christi, & Ecclesiæ.

ψ. 6. *Ego verò egenus, & pauper sum, Deus adjuva me.*

Vide ψ. 23. Pl. 39. Redit Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cùm verè pauper, & nudus Patri dicebat: Deus meus, ùt quid dereliquisti me?

ψ. 7. *Adjutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.*

Vide ψ. ult. Pl. 39. Repetitur prima petitio celeris auxilii.

PSALMUS LXX.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus David, filiorum Jonadab, & priorum captivorum.*

Sciendum est, filios Israel (qua fuit prima eorum captivitas) ad verbum Dei, per Jeremiam prædicatum, se cum Rege Joachim sponte Nabuchodonosori, Regi Babylonia, captivos tradidisse; quos inter credibile est fuisse filios Jonadab, homines ab obedientiâ celebres. Vide Jerem. 35. Num verò David ad hanc captivitatem respexerit, an interpretes [qui etiam titulum suprâ scriptum addidit, nam Psalmus hic apud Hebræos titulo caret] aut ipsa Ecclesia V. T. Psalmum eò accommodaverit, quo modo Ecclesia Christiana accommodat Psalmos varios
ad

ad varias celebritates, incertum est. Plurimi Psalmum intelligunt de persecutione Absalonis contra Davidem jam senem: hic enim sponte in exilium profectus est, agnoscens illam esse Dei voluntatem, ut ejectionem illam à Regno, & fugam, atque exilium patienter ferret; & gratiam liberatoris, cum paulò post in Regnum reduceretur, agnosceret. Quod exemplum Davidis secuti postea sunt filii Jonadab, & priores captivi, de quibus titulus loquitur. S. Augustinus monet, omnes pios, sub exemplo Davidis, debere in hoc Psalmo canere laudes gratiæ Dei, quâ liberamur à captivitate Diaboli; & gratiam enixe implorare, ut proficiamus, & perseveremus in bono, non presumentes de propriis viribus, sed de adiutorio Dei in omni tentatione confidentes.

ψ. 1. In te Domine speravi, non confundar in aeternum: in justitia tua libera me, & eripe me.

In te Domine, non in me, vel aliâ creaturâ speravi, ideo securus, quòd non confundar in aeternum: jam peto à te, ut secundùm justitiam, quâ impios punire, & innocentes liberare soles, libera me, & eripias de manibus persequentium me.

ψ. 2. Inclina ad me aurem tuam, & salva me.

Idem repetit ad affectum ostendendum. Inclina

clina &c. audi vocem humilem, sive de imo sonantem, & salva me à præsentì periculo.

¶. 3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias.*

Jam petitionem clariùs explicat. Vult, ut Deus protegat instar arcis munitissimæ, in petrà sublimi locatæ, quò hostes sui penetrare non possint. Facillima via evadendi omnes tribulationes est mente ad Deum, & æterna ascendere: tunc enim omnia humana facilè despicias.

¶. 4. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.*

Dat rationem prioris ¶. : nam tu es domus firma, stabilis (hebraicè, *lapidea*) ad quam confugere possim: cetera enim omnia, seu favores hominum, sive industria mea, sunt domus lutea, res caducæ, fragiles &c.

¶. 5. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.*

Descendit magis ad particularia, & petit liberari de potestate peccatoris, contra legem agentis, & iniqui; quibus nominibus intelligit Absalonem, Achitophelem, & ministros eorum. Vide Ps. 30.

¶. 6. *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à juventute mea.*

¶. 7. *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris mee tu es protector meus.*

Eripe

Eripe me de manu peccatoris, quia à te patienter exspecto auxilium ; & quia semper in te speravi ab eo tempore , quo te noscere cœpi : sed multò antè , quàm ego in te sperare inciperem, tu pro tuâ misericordiâ protector meus fuisti: nam ex utero matris meæ in te stabilitus, robur accepi, cùm ex me infirmissimus essem : & vix natus protectione tuâ frui cœpi, cùm adhuc invocare te non possem. Quàm pauci agnoscunt, & Deo gratias agunt pro beneficiis præstitis sibi in eâ ætate, quâ sibi nullam opem adferre poterant ?

ψ. 8. *In te cantatio mea semper : tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.*

His de causis, & ob tanta beneficia te semper laudibus celebrabo in prosperis, & adversis, in hoc sæculo, & in futuro. Et jam quidem expulsus è Regno à proprio filio ; & dum miserè fugio, qui antea gloriosè hostes fugabam, sum admirationi omnibus hominibus, præsertim cùm à te desertus videar, quem semper colui, & in quo speravi: sed tamen tu, etsi ad tempus, secundùm consilium sapientiæ tuæ, hostes in me prævalere permiseris, tamen tempore suo mihi adjutor eris fortis, & constans.

ψ. 9. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.*

Ergo,

Ergo, quidquid homines de me sentiant, aut dicant, ego opto, ut nihil me delectet, nisi te diligere, & laudare gloriam tuam, & omni tempore decantare magnitudinem tuam. Et verè nihil magnum, nihil admirandum, præter Deum.

¶. 10. *Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Cùm David persecutionem Absalonis pateretur, senex erat; ideo memor victoriarum, quas juvenis, & puer obtinuerat, ait: ne me deseras in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper juvisti: cùm robur, ac vires debilitatæ sint, *ne derelinquas me*, qui auxilio tuo magis egeo, quàm aliàs unquam eguerim.

¶. 11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.*

¶. 12. *Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.*

Hæc ad literam Davidi conveniunt, contra quem populus, Absalone duce, & Achitophel consiliario, rebellavit, quoniam vidit jam senuisse, & debilem effectum, & à Deo destitutum credidit. *Quia dixerunt inimici mei de me; & qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis, illi simul uniti inter se, consultaverunt de perditione meâ, dicentes: Deus dereliquit &c.* Vide L. 2. Reg. 17.

H

¶. 13.

✠. 13. *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.*

✠. 14. *Confundantur, & deficiant detrahentes anima mea; operiantur confusione, & pudore, qui querunt mala mihi.*

Illi consultant contra Davidem, & hic recurrit ad Deum, qui facilè potest dissipare consilium eorum, ut re ipsâ fecit. *Deus ne elongeris à me*, ut illi jactant, te jam fecisse: imò per auxilium tuum mihi propinqua: confundantur consilarii Absalonis, & deficiant in consiliis suis, evanescant, infatuentur calumniantes me. *Operiantur &c.* idem aliis verbis repetit.

✠. 15. *Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam.*

✠. 16. *Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.*

Illi confundantur, & deficiant, ego verò magis, ac magis in te confidam, experimento edoctus, quanta sit virtus auxilii tui; & semper ad laudes tuas, laudes adjiciam, pro novis beneficiis novos hymnos tibi decantans. Assidue prædicabo *justitiam tuam*, quâ punis impios, & *salutare tuum*, quo innocentes liberas, & salvas.

✠. 17. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiae tuae solius.*

Quia

Quia non novi, h. e. non approbo astuciam,
& prudentiam hujus mundi, quali abundabat
Achitophel; adhærebo penitus omnipotentiae
Dei; in illâ confidam; & sic non recordabor
humanorum consiliorum, aut mearum virium,
vel amicorum meorum; sed recordabor, & men-
te retinebo justitiam tuam, quâ servas promif-
sa, quâ punis impios, quâ pios coronas.

ψ. 18. *Deus docuisti me à juventute mea,
& usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

Ut, spretâ literaturâ humanâ, considerem in
tuâ potentiâ, *docuisti me à juventute mea*; &
secundum hanc doctrinam eruditus pugnavi
cum urso, & leone, & cum Gigante Goliath,
inermis adolescens, & victoriam reportavi; quæ
mirabilia tua usque ad ultimum vitæ finem pro-
nuntiabo.

ψ. 19. *Et usque in senectam, & senium, De-
us, ne derelinquas me.*

ψ. 20. *Donec annuntiem brachium tuum
generationi omni, quæ ventura est.*

Et simul rogo, ut usque ad senectam non de-
relinquas me; sed semper mihi adsis auxilio tuo,
donec perficiam librum Psalmorum, per quem
fortitudinem tuam annuntiem omni posteritati.
Prævidebat scil. David Psalmos suos ubique us-
que ad finem mundi decantandos.

ψ. 21. *Potentiam tuam, & justitiam tuam*

H 2

Deus

*Deus usque in altissima, qua fecisti magnalia:
Deus quis similis tibi?*

Generacioni venturæ annuntiabo brachium tuum, quod est potentia tua conjuncta cum justitiâ tuâ: utraque extenditur usque in altissima magnalia, quæ fecit Deus: nec enim solùm creavit terram, maria, habitantes in eis; sed & Cælum, & Cælos Cælorum, & Angelos: nec etiam solùm punivit peccatores homines, qui sunt pulvis, & cinis, sed & Angelos altissimos: ut exclamare liceat: Domine quis æquè potens est, ac tu?

ψ. 22. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conversus vivificasti me, & de abyssis terra iterum reduxisti me.*

ψ. 23. *Multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me.*

Consolatur David præsentem calamitatem ex eo, quòd alias calamitates, Deo juvante, feliciter evaserit. *Ostendisti mihi tribulationes multas, & malas*, h. e. magnas varietate, & amaritudine, quas pertuli in persecutione Saulis; &, cum pene ad portas mortis pervenissem, *conversus vivificasti me*; & de extremis malis, cum pene ad inferos descendissem, liberaisti me. *Multiplicasti enim magnificentiam tuam* secundùm multitudinem dolorum meorum, & *conversus ad misericordiam*, cum me paternè castigasses, *magnificè consolatus es me*, ex misero

scro exule Regem beatissimum faciendo.

ψ. 24. *Nam & ego confitebor tibi in vasis
Psalmi veritatem tuam : Deus Psallam tibi in
cithara, sanctus Israel.*

ψ. 25. *Exultabunt labia mea, cum canta-
vero tibi : & anima mea, quam redemisti.*

ψ. 26. *Sed & lingua mea tota die meditabi-
tur justitiam tuam : cum confusi, & reveriti
fuerint, qui quærunt mala mihi.*

In fine prædicit sibi liberationem de manu
Absalonis, & pollicetur gratiarum actionem.
*Nam & ego, adeptâ victoriâ, laudabo fidelita-
tem tuam in instrumento Psalmi canendi, quod
psalterium vocatur; etiam psallam tibi, O san-
ctus Israel, in instrumento Citharæ. Vocatur
Deus Sanctus Israel, quia sanctificari debet à
populo Israel cultu, & honore; & ipse populum
Israel suâ gratiâ sanctificat. Insuper os meum
jubilabit, cum cantabo tibi, & vita mea, quam
redemisti ab interitu, exultans laudabit te: nec
hoc iterum, & semel, sed lingua mea omni tem-
pore exercebit se in decantandâ justitiâ tuâ,
quando confusi erubuerint omnes inimici mei,
qui quærunt nocere mihi.*

PSALMUS LXXI.

Titulus : *In Salomonem.*

Argumentum : *Occasio scribendi, vel ca-
nendi*

H 3

nendi